

Disputatio Inauguralis,
DE
FRUCTIBUS
LEGATORUM ET
FIDEICOMMISSORUM,

211.

32

Quam

DUCE ET AUSPICE DEO,

1636, 2.

Disp. III

T. O. M.

Ex Decreto & Autoritate,

NOBILISSIMÆ, ET AMPLISSIMÆ
FACULTATIS JURIDICÆ IN FLORENTIS-
SIMA ET CELEBERRIMA ARGENTORATIENSIIUM
UNIVERSITATE,

Pro Consequendis summis in utroq; iure honoribus
& privilegiis


DOCTORALIBUS,

publico & solenni examini subjicit,

horis locoque consuetis,

Ad diem 6. Octobris 13.

M. JOHANNES FRITSCH,
ARGENTORATENSIS.



Typis JOHANNIS REPPII,
M. DC. XXXVI.

*Amplissimis, Prudentissimis, Plurimum
Reverendis, Consultissimis, Experientissimis, Cla-
rissimis, Spectatissimisq̄
Septemviris*

- Dn. JOHANNI SEBASTIANO *Zeisloff* / In-
clytæ Reipub. patriæ Quindecimviro honoratissimo:
- Dn. CASPARO BITSCHIO, Jcto, Codicis Ju-
stiniani & consuetudinum Feudalium Professore
celeberrimo, Facultatis Juridicæ seniori & Capituli
Thomani Præposito dignissimo:
- Dn. JOHANNI ULRICO *Fride* / Inclytæ Reip.
patriæ Archigrammateo laudatissimo:
- Dn. JOHANNI RUDOLPHO *Salkmann* /
Medicinæ Doctore & Professore celeberrimo, & ci-
vitatæ Archiatro ordinario, nec non p. t. Rectore
Academiæ Magnifico:
- Dn. JOHANNI CASPARO KEHNERO, Ju-
dicii, quod civitatæ vocant, Referendario & Actua-
rio dexterrimo:
- Dn. JOHANNI *Schmidt* / SS. Theologiæ Doctore,
& Professore Excellentissimo, Ecclesiastæ gravissi-
mo, & Conventus Eccles. Præsidi Vigilantissimo:
- Dn. RUPRECHTO *Reichardt* / ad omnium Sal-
utorum Quæstore fidelissimo:

*Laudatissimi Stipendii Schenckbecheriani Præfectis
optimis,*

*Patronis, Promotoribus, respectivè Præceptoribus,
& Benefactoribus perpetuâ devotione, observantiâ,
& obsequio colendis & suscipiendis:*

Disputationem hanc Inauguralem

humiliter & reverenter

O. & C.

M. JOHAN. FRITSCH.



T H E S I S I.

IN latifundiis seu vastissimis Legatorum spatiis, sepositis & relictis plurimis aliis, iisque spinosis & abditis, ad fructus eorum fert animus: qui tamen ipsi (*teste Coll. Arg. Jur. lib. 22. th. 38.*) difficultate non carent: sed æquè indigent duce & indice columbâ, seu sublimiori ingenii alâ; ac ille *apud Virg.* qui latuit

*arbore opacâ
Aureus & foliis & lento vimine ramus!*

ut, coram tribunali iudicii publici, faciliorem mihi & proniorem veniam sperem atque pollicear: si more ingenii humani alibi lapsus fuero, alibi offendero.

2. Fructus *Varro lib. 1. de ling. latin.* à ferendo; *Francisc. Connan. in com. jur. civil. lib. 8. c. 1.* à fruendo deducit: quorum uterque à veritate non aberrat: sed alter Stoicos, alter Grammaticos sequitur.

3. Fructuum vox latissimè accepta, significat omnes utilitates, quæ non ex ipsa re, sed ejus occasione percipiuntur: prout in fructu reputatur pignori dare licere. *l. 72. de R. I. l. fin. de usus & fructibus.* Strictiùs usurpata, terminatur notatione eorum, quæ jure aliquo ex re, suâ naturâ sterili, percipiuntur, qualis est secundum *Aristot. lib. 1. pol. c. 9.* pecunia, cujus legatae redditus seu usuras percepisse legitur heres. *l. 88. §. fin. ad L. Falcid.* quæ propriè loquendo vice tantùm fructuum sunt. *l. 83. de leg. 3.* & vicem eorum obtinere dicuntur in *l. 83. de legat. 3.* fructusque civiles à DD. nominantur: quia non naturalem, sed civilem tantùm causam habent. Propriè verò solùm fructus sunt

& dicuntur, quæ ad usum hominum per naturam inducta sunt. *l. 42. de usu & usuf. legat.* & naturaliter percipi scribuntur ex ipsa re, *l. 62. de rei vind. l. 7. solut. mat.* Quo sensu partus ancillæ, tanquam homo cuius gratiâ fructus sunt, in fructu esse negatur. §. 38. *Inst. de R. O. l. 28. §. 1. de usur. & fruct.* & fructui opponitur. *l. 91. §. fin. de legat. 1.* quæ negatio quoq; reperitur de usura pecuniæ in *l. 121. de verb. sig.*

4. Legata pariter non uno modo dicuntur: *in ll. 12. tab.* scriptum fuit: uti legâssit quis suæ rei ita jus esto. *l. 120. de V. S.* ubi legare, heredem instituere, tutorem dare, mortis causâ donare libertatem dare, & in specie legare interpretandum est. *fac. l. 80. de V. S.* ex qua, legatum omnem ultimam voluntatem denotâsse, apparet. Angustius legatum tantum in specie & fideicommissum comprehendit. *l. 96 princ. de legat. 1. l. 11. §. 16. de legat. 3.* cui opponitur propriè loquendo *in tit. Inst. de legat. & Cod. eod.* quo in significato in hac dissertatione vocabulum legati capiendum est. *per Rub. & l. 1. l. fin. C. de usur. & fruct. legat.*

5. Quoniam verò juxta *Philosophum lib. 1. poster. an. c. 2.* tum demum rem scire dicimur, si causas ejus non ignoramus: in fructuum horum causas inquirendum erit diligentius.

6. Naturaliter eosdem contemplantés, causam eorum efficientem deprehendimus generans quodvis, quod animam habet vel sentientem, velut, pecus cuius fructus sunt varii: ut lac, pilus, lana, agni, hoedi, vituli, &c. §. 38. *Inst. de Rer. div. l. 28. prin. de usur. & fruct.* vel vegetantem tantum: ut planta, cuius species, cum sint multæ & variæ, fructus quoq; multi & varii ex illis progenerantur, qui usibus & necessitatibus humanis quotidie deserviunt, & ob familiaritatem suam solent esse notissimi.

7. Civiliter verò & juridicè, quatenus alicui debentur & præstandi sunt, civilem quoq; & juridicam sortiuntur

tiuntur causam; Quæ duplex est: *Voluntas testatoris & mora heredis.*

8. *Voluntas testatoris* vel est *expressa*, vel *tacita*. *Expressa* tum est, cum aliquis specialiter & conceptis verbis rogatus est restituere fructus. *l. 18. princ. l. 32. ad SC. Treb.* Pariter si nominatim est iussus restituere fideicommissum cum incremento. *l. 83. §. 2. de legat. 2.* Tum enim cessantibus conjecturis. *l. 137. §. 2. de verb. ob.* voluntas testatoris executioni mandanda est, ob summum, qui ipsi debetur, favorem. *l. 1. C. de SS. Eccles. C. 13. q. 2. c. 4.*

9. *Tacita voluntas est*, cum non nominatim scriptum est in testamento, ut fructus præstentur, vel cum incremento hereditas restituatur: sed tempus restituendi dilatum est: quam dilationem, si suâ gratiâ factam esse probet legatarius vel fideicommissarius, fructus cum re legata acquirit. *l. 83. §. 2. de legat. 2.* quod probâsse censetur, si testatorem infirmitati legatarii consulere. *l. 21. §. 2. de an. legat.* vel necessitudini potius quam tutoribus res committere, & sic lubrico tutelæ remedium quærere voluisse, docuerit. *l. 3. §. 3. ff. de usur. & fruct.* Ex ejusmodi enim circumstantiis lex præsumit pro legatario, qui hâc præsumptione juris (ut à Doctoribus vocatur) tandiu est tutus, donec contrariam probare heres paratus sit. *l. 33. §. fin. l. 73. §. 75. de legat. 3.* Natura est enim hujus præsumptionis, ut probationem in contrarium non respuat. *l. 16. C. de probat. Menoch. lib. 1. de præsumpt. q. 4. coras. de jure civil. in ort. redig. c. 7.*

10. Ejusdem præsumptionis vi, hereditas, quam quis restituere rogatus est, diminuta, ex fructibus perceptis, supplenda est. *l. 27. §. 16. ad SC. Treb.* Nam, cum emolumentum hereditatis pertineat ad heredem, æquum est & secundum naturam, ut periculum quoque sustineat is ipse: iniquum contra, ad fideicommissarium pertinere damnum, ad quem augmentum non pertinet. *l. 33. ad SC. Treb.*

Treb. Hanc æquitatem, veluti in omnibus observandam *l. 90. de R.I.* præsumit lex in animo habuisse testatorem: & per hoc ex fructibus deperditam hereditatis partem sup-
plendam esse, disponit.

II. Hujusmodi quoque præsumptio latet in specie *l. Ballista 32. ad SC. Treb.* in qua rogatus est, heres: quanta-
cunque pecunia ex hereditate de bonis ad ipsum perve-
nerit eam omnem restituere. Ea verò colligitur, *secun-
dum gloss. & Bart. in d. l. Ballista.* ex geminato verbo pecu-
niæ, quod separatum est ab hereditate & bonis, ut verifi-
mile non sit, testatricem, pecuniam, quæ fuit à tempore
adeundæ hereditatis solam cogitasse. Quod verò *Cujac. 4.
observat. 39. & Gothof. in d. l. Ballista.* existimant: fructus
deberi non ex ultimo elogio, sed ex cautione coloniarum Phi-
lippensium præstita: Refutatum legitur apud *Hillig. in
Don. Enuc. lib. 7. c. 16.* eâ ratione: Quòd ex nudæ cautionis
adjectione non aptè colligatur, testatricem in plus voluif-
se gravare heredem, quàm si ea non adjecta fuisset. Cui
accedit & illa: quòd ejusmodi cautio sit ipso jure præstan-
da, sine expressa voluntate testatoris. *l. 14. prin. ut legator.
vel fid. nom. cav.* nec incrementum ex fructibus capiat. *l. 1.
§. 13. eod.* Cum ex stipulatu plus, quàm fideicommissò pe-
titioni possit. *l. 54. ad SC. Treb.* Unde dicendum, superio-
rem præsumptionem adjuvari hâc ipsâ cautione, quam,
cum ipso jure præstandam esse, non ignoraverit testatrix,
eam non propter fideicommissum, sed fructus ipso jure
non præstandas, interponi, disposuit, ut per eam de vo-
luntate meliùs esset cautum.

12. Memorata verò vox pecuniæ & ejus seperatio
oppositioque, non reperitur *in l. 83. de legat. 3.* & ob id,
nihil proponi ex quo de restituendis fructibus, cogitasse
testatricem proponi, possit, scriptum est à ICto *in d. l. 83.*
ubi probare nihil est, quàm præsumere: nam, quæ claris &
conceptis verbis, in testamento scripta sunt, nulla proba-
tione

217
tione indigent: cum probationes sint rerum dubiarum non notarum. *arg. l. 1. de probat. l. 5. §. 1. qui satisdat. cog. Mascard. de probat. Vol. 1. q. 2. n. 20.* Quare, cum regulariter fructus ex testamento legatario & fideicommissario non debeantur. *l. 77. §. 19. de legetur. l. 23. de legat. 1.* In ista verborum conceptione parcere heredi potius, quam onerare eundem voluisse testator putandus est. *l. 47. d. legat. 1.*

13. Ad eandem tamen formulam verborum diversum est responsum ab *Vlpiano l. 2. in fin. de dot. praelegat.* non quidem ex vi formulæ: sed quia ibidem existit voluntatis quæstio, quæ decidenda est ex probationibus legatarii aliunde petitis. Licet enim nonnunquam omisâ voluntate, sequamur significationem verborum, *l. 52. §. 4. de legat. 3.* illud tamen non fit, nisi ipsa voluntas probari non possit, docente *Cyno ad l. 16. C. de fideicommiss.* Etenim, si de voluntate constat: verba voluntate potiora reputanda non sunt. *l. 19. de cond. & demonstr. l. 3. C. de lib. præter.* Hinc voluntas testatoris dominari dicitur in testamento. *l. 23. §. fin. C. de legat. & semper primum obtinere locum. Sichart. ad l. 7. C. de fideicom. consistente scripto vi voluntatis. l. 12. §. fin. de legat. 1. & potiore existente mente dicentis ipsâ voce. l. 7. §. fin. de supell. legat. in fideicommissis comprimis. l. 127. de legat. 1. l. 16. C. de fideicommiss.* Quamobrem, si de voluntate testatoris constare melius non possit, ad commendandam eam legatarius admittitur. *d. l. 16. C. de fideicommiss.* Eadem verò, si nec hoc nec aliò modo manifestari potest, iudicis arbitrio committitur. *l. 7. C. de fideicom.*

14. Hactenus de voluntate testatoris: sequitur de mora heredis, ex qua fructus deberi constat. *l. 23. l. 47. prin. de legat. 1. l. 39. de usur. & fruct.* Moram verò hoc loco non quamvis dilationem; quæ licita etiam est, de qua *in l. 15. prin. ut legator. & fideicom. serv. l. 36. §. 3. de fideicom. lib.* sed eam intelligendam esse, quæ *voluntaria* dicitur *in l. 8. de collat.*

de collat. & adversarium injuriâ afficit, non est ignorandum. Illa verò fieri existimatur, si quis opportuno loco & tempore interpellatus non solvit. l. 32. princ. de usur. & fruct. l. 39. de solutionib. Opportunū autē tempus est, quò res peti potest: Ea verò peti non potest, antequā debeatur: Vnde nec mora committi ante poterit. *l. 88. de R. I.* Illos autem ex tempore mortis testatoris non deberi, rescriptum est *in l. fin. Cod. de usur. & fruct. legat.* Quod dubium efficeretur, si secundum quorundam opinionem, legatum ratione veri domini, statim à morte testatoris in legatarium transiret: ut videri posset per *l. 64. de furt.* Hoc enim posito, fructus acquirerentur legatario, *l. 42. de usur. & fruct.* & exinde ab ipso peti possent. Sed, quia tradente *Coll. Arg. Iur. de legat. th. 51.* illud, quod in *d. l. 64.* de transi-
 one & acquisitione domini ponitur, *ad obligationem*, & consequenter *ad actionem* est referendum, quam qui habet, ipsam rem habere videtur, *l. 15. de R. I. l. 143. de V. S. l. 52. de acquir. rer. dom.* nihil inde nascitur incommodi. Et licet forsitan heres faciat perendo legato moram, si post mortem testatoris aliquandiu deliberat, *l. 7. princ. quando dies legat.* legatario tamen non facit injuriam, sed suo jure utitur. *l. 55. de R. I.*

15. Quibus ita intellectis, supervacua est distinctio glossæ *in d. l. fin.* quam sequitur. *Azo in sum. & Castrens. ad l. 1. C. de usur. & fruct. legat.* inter legatum rei alienæ & propriæ: Quæ *Bart. & Cyno* inconveniens quoque visa est: quia in allegata lege *fin. de actione in rem* sermo est, quæ, re alienâ legatâ, locum non habet: quia præsupponit vel dominium, vel jus in re à defuncto testatore in legatarium vel fideicommissarium translatum. *l. 23. prin. de R. V. §. 2. Inst. de actionibus* non potest autem legatarius dominium rei alienæ, quod ipse non habet, in alium transferre. *l. 54. de R. I.*

Neq;

16. Neq; ex tempore aditæ hereditatis moram committi statuendum est: Licet enim legatarius post aditionem hereditatis, si legatum agnoverit, fictione juris, retro censeatur fuisse dominus. *l. 44. §. 1. l. 86. §. 2. de legat. 1.* quia tamen ipsius arbitrii est, agnoscere illud vel repudiare, ante agnitionem ejus esse vel fuisse verè dici nequit: illud enim, quod fingitur, verè non est. *l. 39. prin. de op. lib.* Cum fictio sit adversus veritatem in re possibili, ex justa causa dispositio. *definitore Alciat, de presumpt. in princ. n. 1.* Veritatem igitur compati apta nata non est. Vnde dominium rei legatæ ad legatarium tum demum transire dicitur: si is voluntatem testatoris non repudiaverit. *l. 80. de legat. 2.*

17. Posito verò dominium ab adita hereditate transire in legatarium, heres nihilominus lucraretur fructus ad agnitionem usque: cum ob ejusdem incertum eventum bonæ fidei possessor permaneret, quem constat fructus suos facere. *l. 28. princ. ff. de usur. & fruct. l. 48. §. fin. ff. de acquirend. rer. dom. l. 22. C. de rei vind.*

18. Nec ad rem pertinet: quòd in legatis & fideicommissis mora re ipsa committatur, quod fit tardiore solutione ejus, quod debetur. *l. 3 C. in quib. caus. rest. in integ. necess. non est.* legata autem à die aditæ hereditatis statim debeantur. *l. 32. princ. de legat. 2.* post quam, si non illico præstentur, tardiùs solvi videbuntur: quia *deberi* hoc loco accipiendum est, non absolutè, sed *respectu cause remotæ obligationis scilicet & actionis ex testamento*, quæ aditâ hereditate nascitur *in se & ratione essentia*, sed intendi tamen non potest, nisi superveniat agnitio, quæ ejus causa proxima ponenda est. *Coll. Arg. Iur. de legat. th. 53.* Ante hanc dominium rei legatæ in suspenso relinquitur, ita, ut, illâ non sequente, semper apud heredem mansisse videatur. *l. 86. §. 2. de legat. 2.* Qui ob dubium agnitionis eventum rem ultro offerre non tenetur, sed sufficit, si is moram

B petenti

petenti non faciat. *arg. l. 47. princ. de legat. 1. l. 22. §. 2. ad SC. Treb.* Vnde porro, non sufficit heredem rei legatae habere scientiam, sed agnitam esse, non ignoret is, necesse est: ut interpretandam esse *l. 40. de acquir. rer. dom.* monet *Bachov. ad Treut. vol. 2. disput. 13. th. ult.*

19. Tandem igitur dicendum est: *per interpellationem* committi moram: quod *de judiciali* dubium non est, propter expressos textus in *l. 1. l. 3. & l. fin. C. de usur. & fruct. legat.* qui de litis contestatione loquuntur. Ex illis tamen ad excludendam extrajudicalem interpellationem non rectè concludimus, Veluti:

Fructus percepti post litis contestationem consequuntur: Fructus percepti, post extrajudicalem interpellationem, non sunt fructus percepti, post litis contestationem. E. Assumptionem enim esse contra fundamentum concludendi, de quo *Aristoteles 1. prior. c. 4. §. 6.* manifestum est: & per hoc quoque lædi illud generale, de quo *lib. 1. princ. an. c. 1. Dictum scilicet de omni & nullo.*

20. Et aliàs constat ejusmodi rescripta Codicis, ad propositam facti speciem esse concepta. *Duar. ad l. 39. §. 1. de legat. 1.* Quod in allegatis legibus factum esse, eò magis est dicendum: quia Papinianus in eadem facti specie consultus in *l. 3. princ. de usur. & fruct. respondet:* post litem contestatam fructus esse præstandos, si mora non sit facta, antequam ad judicem perventum est, quem intellectum Jctus monet esse rescripti Marci Antonini. Hunc respondendi modum sequitur *Glossa, Azo & castrens. in d. l. 1. Placentin. in summ. Cod. de usur. & fruct. legator. & Bald. in d. l. 3. princ. de usur.* Moram verò committi quoque post *interpellationem extrajudicalem* probatur insuper: Quia mora est, si quis, interpellatus oportuno loco & tempore non solverit. *l. 32. ff. de usur. & fruct. l. 59. ff. de solut. interpellare verò est etiam extrajudicialiter petere. l. 81. §. 1. ff. de solut.*

solut. l. 23. ff. de ob. & act. l. 3. princ. ff. de usur. & fruct. Quod
 eò faciliùs credendum est: quoniam & alias ad judicialem
 interpellationem sine extrajudiciali non facile properan-
 dum est. *Matth. 18. l. 13. ff. prin. ff. de servit. Urban. præd. c. 3. de*
judic. Oldendorp. da action. c. 3.

21. *Causa materialis seu subjectum, sunt omnes in uni-*
versum fructus: non solùm quos heres percepit: sed & quas
legatarius percipere potuit a tempore moræ. l. 89. §. 1. de
leg. 1. l. 62. §. 1. de R. V. C. II. de Rest speliat. Ex quibus textibus
 apparet, facultatem percipiendi referendam esse ad lega-
 tarium, seu quemvis etiam petitorum. Nec adversatur
l. 5. C. de R. V. hanc facultatem ad possessorem referens: li-
 cet enim frequenter alius alium industriâ superet *l. 31. ff. de*
solut. & quidam ita existant callidi, ut ex musca etiam (ut
loquitur Zas. ad l. 39. §. 1. de legat. 1.) fructum percipiant: qui-
 dam contra ignavissimi: ut plurimum referat, petitorum
 an possessorem respiciamus: pari tamen existente utriusq;
 industriâ, nil vel parùm refert, ad quem respiciamus: cum
 diversitas respectus fructuum diversitatem nullam im-
 portet: ad quem casum rescriptum esse *in d. l. 5. credo cum*
Duar. ad l. 39. §. 1. de legat. 1.

22. *Forma petendorum horum fructuum* residet in
 actione, quæ ad illos consequendos competit. Ea au-
 tem est triplex. §. 2. *Inst. de legat. l. 1. c. Comm. de legat. Perso-*
nalis, quæ ex quasi contractu heredis pro manat. §. 5. Inst. de
oblig. que quas. ex cont. & tum locum habet, cum legata
est res aliena, vel in genere, vel quantitas etiam. Gomez.
Var. Resol. Tom. 1. c. 11. n. 7. deficiente scilicet rei vindicatio-
ne. l. 23. princ. ff. de Rei Vind. §. 2. Inst. de action. l. 54. de R. Iur.
 Deinde actio *in rem, sive rei vindicatio, quæ legatario,*
 tanquam domino, datur. *l. 64. ff. de furt. re propriâ testato-*
ris legatâ & ad vindicandum aptâ, quod contingit, si res sit
certa. l. 6. ff. de R. V. Tertia actio est *hypothecaria, quæ in*
res hereditarias donata est. d. l. 1. C. Com. de legat. non in
 B 2 ipsum

ipsum legatum. *l. 45. de Reg. Jur.* Has verò actiones ad fructus consequendos dari dicendum est: quia eadem de legatis dantur: fructus autem sunt accessiones legatorum *l. 24. §. 14. de fideicomm. lib.* ea que tanquam principale sequuntur. *l. 10. §. 2. si quis cant. in jud. l. 1. & 2. de pecul. legat.*

23. Et hæc quidem actiones simul stare non possent, reclamante analogiâ juris. *§. 1. Inst. de actionib.* si jure communi dominium rei legata in legatarium transferretur: quia verò *singulari & civili modo*, legatarius efficitur dominus: contra regulam realis & personalis actio simul dantur. *Bart. in l. 1. C. com. de legat. ubi hujus responsionis laudat autorem Doctorem quendam ultramontanum, de Salinis.*

24. Quod de simultate actionum modò dictum est: jure civili non de cumulatione (quam *DD.* vocant) sed de facultate agendi intelligendum est. *l. 76. §. 8. de legat. 3.* quod tamen de consuetudine Germaniæ & Camere Imperialis secus esse, referunt *Myns. 1. obs. 58. & Gail. 2. obs. 26. n. 4.*

25. *Finis & effectus* est ultimæ voluntatis impletio: si testatur voluit præstari fructus. *l. 18 princ. ad SC. Treb.* cum nihil magis hominibus debeat, quàm, ut eorum suprema voluntas habeat exitum. *l. 1. C. de SS. Ecclesiis.* Item, ut fraudi, quæ moræ inest *l. 22. ff. de usur. & fruct.* obviam eatur: ne injuriâ legatarius factò heredis afficiatur, cui ipsi, non alii meritò sua mora debet nocere. *l. 173. §. 2. de Reg. Jur.* Quem ex suo dolo commodum sentire iniquum esset. *l. 1. princ. de dolo.* & cum legatarii injuria fieri locupletiores. *l. 206. de R. I.* Qualem eum fieri, nisi fructus post moram restituantur, manifestum est.

26. *Affines* fructibus sunt *reditus fructibus* contradistincti. Etsi enim hæc vox latissimè patet, ut fructus quoque comprehendat. *l. 6. ff. usus. quem. Carv. l. pen. de usu & usufr. & red. legat.* quos sibi ipsis affines perhibere inconveniens est: cum nullum simile sit idem. Strictiùs tamen accepti fructibus contradistinguuntur.

27. Ejus-

27. Ejusmodi reditus sunt *usurae*, in specie & proprie sic dictae, quae *reditus pecuniae* appellantur in *l. 30. ff. de admin. & transf. legat. l. 87. §. fin. ad L. Falcid.* & adeo affines sunt fructibus, ut vicem eorum obtinere dicantur in *l. 48. ff. de usur. & fruct.* & argumentatio fiat à fructibus ad usuras. *l. 5. §. 1. de dot. collat. l. 5. C. de action. empt.*

28. *Inter Contraria*, quae praestandis fructibus ad-versantur, est *simplex voluntas testatoris* de praestandis legatis: si enim neq; expressa est voluntas de simul praestandis fructibus, neque praesumi aut probari potest, illi praestandi non sunt. *l. 63. §. 4 l. 18. §. 2. ad SC. Treb.*

29. Simplex autem voluntas & tunc putatur: si heres rogatus est restituere post mortem suam, quicquid ex hereditate superfuerit. *l. 58. §. 7. ad SC. Treb.* Vel quicquid ex hereditate bonisque testatoris ad heredem pervenerit. *l. 83. princ. de legat 3.* neque enim praesumitur testator voluisse heredem onerare, sed ei potius parcere. *l. 34. §. 5. l. 47. in fin. de legat. 2.*

30. Contrariis quoque accensenda est *purgatio morae*, quae ex bono & aequo admittitur. *l. 91. §. 3. de ob. & act. & quoad fructus aliter fieri non videtur, quam, si interpellatio legatarii praecesserit, ante quam nulla existit mora, & per hoc nec purgari potest: quia privatio praesupponit habitum. l. 116. de verb. ob. l. 5. de injust. rupt. & irr. fact. test.* Itaque, si post interpellationem legatarii, heres offerat legatum, legatarius verò moretur acceptionem, heres oblatione suâ censetur purgasse moram: cum mora debitoris in bonae fidei contractibus, per moram creditoris purgetur. *l. 51. princ. l. 3. §. fin. ff. de act. empt.* legata verò, quoad moram, assimilentur bonae fidei contractibus. *l. 3. C. in quib. caus. rest. in integ. necess. non est.* Atque ita purgatâ & sublatâ morâ fructus non debentur: quia cessante causâ, cessat effectus. *C. etsi Christus 26. de jurejur. C. cessante 60. de appellat.* Sufficit autem ad purgationem istam simplex ob-



175
latio, quæ fit sine obfignatione & depositione: modò dicat heres, se esse paratum solvere. *l. 132. princ. de V. ob. l. 39. de solut.* Quod verum est si res sit talis, ut offerri non possit: si enim offerri possit, offerenda est. *Nov. 91. c. 2. Duar. ad l. 9. solut. mat.* Ad plenam verò liberationem, hæc oblatio non sufficit: sed depositio & obfignatio requiritur omnimodo. *l. 6. l. 19. C. de usur.* Modò res sit *mobilis & talis, quæ deponi & obfignari possit. Ias & Zas. in l. 9. ff. solut. mat.* Et hæc quidem præsentis disquisitioni satis sunt: Nam, verbosos commentarios, instituti ratio non postulat.

COROLLARIA.

- I. *An Remedium C. Redintegranda: 3. q. 1. competat laicis? A.*
- II. *An d. C. possit ei quoq; competere, qui suâ culpâ possessionem amisit? A.*
- III. *An magistratus propter publicam necessitatem vel utilitatem possit subditos cogere, ut vendant, emant, vel aliud quid faciant, quod aliàs facere non tenerentur? A.*
- IV. *An obstagium sit jure licitum? A.*
- V. *An famosis libellis contra Principem committatur crimen læsæ Majestatis? N.*
- VI. *An Creditor pignus verè possideat? A.*
- VII. *An jus accrescendi locum habeat in verbis tantum conjunctis? N.*
- VIII. *An feudum alienatum à Vasallo absq; consensu Domini & agnatorum possit, ab extraneo 30. annis præscribi? N.*
- IX. *An feudum antiquum ob feloniam in Dominum Commissum, ei aperiatur, exclusis descendantibus & agnatis? A.*

F I N I S.

218.



818



X 2615926

VD.17





Farbkarte #13

B.I.G.



alis,

211.

32

BUS
M ET

RUM,

Disp. III

DEO, 1636, 2.

PLISSIMÆ
FLORENTIS.
ORATENS IUM

re honoribus

S,

ijicit,

ITSCH,

IS.

E P P I I,

